

autem priuationē, quia sui appeteret destructionem, & confirmat istud valde Simpl. in t. 81. & omnes. Itaque sibi & Aristoteli contrariantur, dum ipsam esse aptitudinem volūt. & D. Th. nullam dicere aptitudinem priuationē probauit. Et si priuatio operatur, vt ait Arist. ad maleficium formę, hoc est renitur nē in materia sua recipiatur, quod facit frigus, dum expellitur à calore, nō erit priuatio inchoatio formarum, nec aptitudo, nec corporeitas, nec erit causa aptitudinis, & appetitus, vt dicit Simp. secum pugnans in t. 72. Alb. & Auerr. sed erit contrarium repugnans, volensq; absentiam contrarij. Et ideo non potest sumi priuatio pro dispositione per hęc, quę diximus: tūm quia contrarium nō disponit pro contrario introducēdo, quod secum pugnat, volens illius occupare materiam, sed ei resistit, & indispositum reddit. Nec quidem frigus est dispositio ad calorem, sed bene tepiditas, quę est de natura termini, ad quem, non à quo, qui est priuatio. Et item potius est dispositio ad suscipiendum calorem humiditas Aristoteli, quę non est caloris priuatio, quā frigus est priuatio, vt dixit in de gen. in metap. & alibi. nullo igitur pacto est dispositio priuatio. Nec priuatio sit respectus per rationes assignatas, quia non est aptitudo, nec potentia, sed extinguit respectum, & potentiam, & potentia, respectusq; & actus sunt eadem numero apud Scotistas, at priuatio non est eadem cum habitu. & Aristoteles in prædicamentis dixit relatiua contraria à priuatiuis. & licet Simpl. dicat, priuationem hęc non esse eam, quę in prædicamentis, quia hic præcedit formam, ibi subsequitur, & hęc dicit aptitudinem, illa non; bene dixit quoad primum, si priuatio hęc sit contrarium deterius; at non differt à prædicamentali, si est carentia, etenim corruptio Aristoteli est à subiecto in non subiectum, hoc est ex habitu in priuationem, vt dicit phy. 5. & manifestum est, quod subsequitur abeunte forma; & illam non dicere aptitudinem, hęc modò dicta manifestarunt, & diffinitio prædicamentalis huic conuenit, si priuatio est carentia: vtraque enim est, qua susceptibile habitus nullo modo habet illum. Quare stat rectē, quod si priuatio sit carentia, non sit principium nullo horum modorum sumpta. & consentit nobis Bernardinus Telesius, Petrus Gregorius Tholosanus; & Augustinus Niphus quasi inuitus inquit in 1. phy. vel priuatio reducitur ad materiam aptam, & sic est ens carens, vel ad contrariam formam abijciendam, & sic est ens priuans presentiam inducēde; & priuatio formaliter non est, ait, nec oppositio priuatiua, nec positiua, nec contradictiua, sed ens in anima, hoc est, imaginarium; & quidem absq; hominum imaginatione ficta sit generatio. & ens est, ait, quatenus reducitur ad formam contrariam, vt ad aqueam cōtrariam igneę. Vndē sanē patet, quod si priuatio non priuat, nec agit, non sit principium; nam vel est principium quia componit, & coagit, & sic non; si est nihil, & ipsi dicunt, vel quia priuat in re, quod non facit, quia est in anima, non in re, vbi sit generatio,